



F I S T U L A E.

413. **H**inc Sinuum, Fistularumque origo, causa, natura, locus, effectus, intelliguntur. (406.)

414. Aperti (413.) facile cognoscuntur; clausi cavitatis mollis tactu deteguntur.

415. Curantur dissecta parte inferiori, impletione cavi per liquefacta digestiva pro re nata, injectu detersivorum, ligatura sensim premente a fonte ad aperturam: sed citissime integumentis artificiose supra cannulam fossatam, filum argenteum, vel per syringotomon, dissectis.

416. Bubo, parotis, furunculus, anthrax, carbunculus, phyma, erysipelas, morbilli, variolae, maculae rubrae, hinc quoad cognitionem, praedictionem, curationem, sciuntur.

417. Nec difficulter hinc scitur eventus suppurationis internae, ad quam artificis manui accessus non datur, magna quippe & multa mala, (406. 413.) & collectiones puris in cava corporis.

418. Si tum necessitas partis affectae ad vitam, sanitatemve scitur, facile praevidentur futura, & curationis difficultas.

GAN-